

*[Faint, illegible handwriting on a blank page]*



67

CARMEN ELEGIACUM

de

Saluberrimâ, Consolationis &

lætitix plenissimâ, Salvatoris & Immanue-

lis Domini nostri JESU CHRISTI ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ, qui

nostri causâ verus homo ex Virgine Maria in temporis plenitudine

natus, Incarnatione & Nativitate, ejusdem fructu dulcissimo, con-

cinnatum, vili quidem stylo scriptum ac pictum, verum tamen ex

puro ac sincero amoris caractere factum, & in almâ Leuco-

teâ Wittenb. Anno τῆς θεαυθρογαήσεως 1631. d. 1. Januarij

publicè recitatum; In lucem verò prolatum

Anno 1633. d. 1. Januarij.

â

M. Reichardo Kötel Torgensi SS. Theol.

Studio.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,

ANNO MDC XXXII.





V I R I S

*Consultissimis, ut & Amplitudine, Autoritate, Prudentia, Virtute, rerum Usu præstanti ac multiplici Spectatissimis,*

**Dn. Consulibus, Judicibus, totiq;** Ordini Senatorio Reipubl. Torgensis, Patriæ Patribus fidelissimis.

U T E T

*Amplissimis, Prudentissimis, Spectatissimis, Humanissimis*

**Dn. Casparo Rosen/ Quæstori** Electoris Saxonæ Torgensi fidelissimo integerrimoq;

**Dn. Georgio Barth/ architecturæ** Electoris Sax. Torgensis Curatori & Actuario fidelissimo.

*Dnm. Mæcenatibus, Patronis, FAVORIBUS & PROMOTORIBUS MEIS, quovis observantia cultum æternum vnerandis*

Carmen hoc sacrum,  
loco strenæ,

*In mentis gratia μνημόσυρον δεβιτάς  
observantia τρυφήριον  
d. d. d.*

**M. Reichardus Rötzel Torg.**  
S. S. Theol. Stud.



**F**ingite lætitiæ numeros, & júbila votis  
Ebria, natus adest Rex in honore Deus:  
Hymnisonos celebrate sonos estote parati  
Quot tegit in vasto munera terra sinu.  
Vox omnis cantet, lingvarum nulla silescat,  
Heu sint in laudem cuncta soluta Dei!  
Filius æterni Genitoris, originis expers,  
Æterno verus cumq; parente Deus;  
Lux de luce micans, radians de lumine lumen,  
Splendor cœlorum, splendor & ipse soli?  
Splendor imago patris, rerum moderator & auctor,  
Claudere quem cœlum, quem neq; terra potest;  
Cujus majestas, virtus; & gloria nullis  
Oris finitur, sed sine fine manet;  
Qui natus sine matre patris sub corde Jehovahæ  
Floruit, auditum cum neq; tempus erat;  
Qui vidit quicquid mundo nascente creârat,  
Omnia qui fecit cunctipotente manu.  
Dissimulans numen quod erat de sedibus altis  
Ætheris egreditur, visit & inde suos;  
Invisit miseros homines, & rebus egentes,  
Et speciem fortis gaudet habere paris.  
Sed veniente latet divinum Numen in orbe,  
Quippe Dei numen lumina nulla ferunt.  
Quin simul Angelicum decus exulat, omnis  
Virtutis fulgor regia sceptrâ silent;  
Undiq; pauperies circumstrepit, undiq; durus  
Sevæ fortunæ ventus, & aura sonat;

*exulat*



Dictis ergò meis attentas addite mentes,  
    Ut perpendatis facta stupenda Dei.  
Cur sit Messias sceleratum missus in orbem,  
    Et mirâ natus conditione puer.  
Spiritus alme veni, nostrog; illabere cordi,  
    Da mea lingua Deo grata referre queat :  
Nec tu sancte puer labiorum sacra meorum  
    Despice, sed studij suscipe dona mei.  
Mens, æterna, potens, sapiens, bona, justa, benigna.  
    Quam nunc consuevit ritè vocare Deum.  
Pulvere de terræ postquam formavit Adamum,  
    Humanæ primum stirpis in orbe patrem.  
Non illum tantum præstanti corpore finxit  
    Aures, atq; oculos pulcraq; membra dedit;  
*ei* Sed verum rationis & simul indidit usum,  
    Bestia dum veræ nil rationis habet.  
Præterea justum, sapientem fecit, in illo  
    Ut pelluceret pax, pia vita, salus.  
Quin ut justiciæ speculum, virtutis amator  
    Et vivi vivens esset imago Dei:  
Præditus his donis placidam sine crimine vitam  
    Egisset, terræ nec reus inde luis.  
Non incussissent violentæ spicula mortis.  
    Horrorem, stygiæ duraq; claustra domûs.  
Ardescens audita Dei non ira fuisset,  
    Nullum mansisset pœna gravisq; dolor.  
At quia deceptus fallacis fraude maritæ,  
    Trangreditur summi iussa verenda Dei.  
Et mox decerptum consumsit ab arbore pomum  
    Conjugis ad placitum, deliciasq; datas.  
Persuasus fructum suavem sibi prospera fata  
    Accumulare, suo tum simile Deo.

Heu

Heu flaus! heu rerum facies horrenda bonarum!  
 Heu dolor! infusus excidit ille bonis.  
 Virtutes abeunt, spoliatur imagine Jovæ,  
 Restat nulla salus, restat amara palus.  
 Scilicet inferni sedes, & sulfuris ignes,  
 In quibus æternùm fata tremenda forent,  
 Læticias habuit? tabescunt pectora luctu,  
 Justiciã viguit? nunc ubi mica boni?  
 Totus, quantus Adam sævo damnabilis orco,  
 Impietas, quod olet, subijcienda neci:  
 Hinc videt in sese divini Numinis iram  
 Crescere, ceu flammæ sumit in igne rogis:  
 Hinc videt abjectum de cœli sede beatâ  
 Sese, damnatum de facieq; Dei.  
 Pectore cedit Amor Domini, succedit iniqui  
 Vis odii, fugiens ora colenda Dei.  
 Adversas partes opifex molitur & æquè,  
 Ut pœnas dignas impietate luat.  
 Sentiat ærumnas, & proferat omne malorum  
 Agmen, succumbat morteq; terribili.  
 Ergò vocat, lapsum serpentis fraude, parentem  
 Adsis heus adsis? quæ via duxit eum?  
 Sed tacet intereà, qui post carecta latebat,  
 Infandi sceleris conscius ipse sui.  
 Ulterius clamat, non audet dicere verbum,  
 Tandem cum durâ voce venire jubet.  
 Progreditur transgressor, Adam demittit ocellos  
 In terram, fixus statq; tenetq; pedem:  
 Ut malefactores, è carcere quando soluti  
 Ducuntur duri Judicis ante pedes.  
 Demisso vultu magnorum dicta virorum  
 Auscultant, gemitus ingeminantq; suos:

Sic & Adam stabat tremebundo corpore, membris  
Concussisq; metu, spes sibi mortis erat:  
Tollere non laudet vultum, Dominumq; videre,  
Ducere vix flatum præq; dolore potest:  
Mox Deus inquit, latum qui condidit orbem,  
Et nutu cœlos arbitrioq; regit;  
Qui factum, quod tu transgressus sepra mearum  
Sis legum; poteras non cohibere manûs?  
Cur fructus vetitos sumfisti? scilicet almo  
Hunc virum similem, quaeso, videte Deo!  
Promit Adam timidam tristi de pectore vocem,  
Submisseq; Deo, suppliciterq; refert:  
Ah quod commisi, commisi Dæmonis astu,  
Atq; meæ sociæ, conjugis allicio;  
Ah, precor, ah dele facti commissa maligni,  
Ah leni pœnam, culpa fatenda mihi.  
Sed Deus ut scelerum vindex Venerator & æqui  
Obfirmat mentem, quin neq; parcat ej;  
Dicit, JUSTUS Ego, justè precedere tecum  
Debeo, poscit idem regula Justiciæ.  
Mors tua sit merces, æternus luctus in igne  
Te maneat stygio, tormina mille premant.  
Clausa sit æternæ coram te janua vitæ,  
Cœlestem sedem ne subiisse queas.  
His dictis hominem vindex Deus ipse relinquit,  
Qui mox in terram concidat exanimis.  
Concidit exanimis multum turbatus Adamus,  
Atq; salutaris nescius auxiliij:  
Hic jacet in terris, & corporis ossa tremiscunt,  
Lingva riget, pallent oraq; mensq; salit.  
Aspicit hæc eadem Triados persona secunda,  
Cara patris soboles, & meditatur opem;

Acce-





Accedit patrem, blando sermone salutat,  
Submissasq; suo fundit ab ore preces.  
Ut pater irarum justas dimittat habenas  
Atq; hominem miti lumine respiciat.  
Ipse etenim vellet mortalia sumere membra;  
Restaurare malum, damna levare Rei.  
Ipse, quod amissum, vellet reparare, salutem,  
Perpetuam pacem, justiciæq; viam.  
Vellet sufficiens pretium persolvere noxæ,  
Et legis normæ ritè satisfacere.  
Obstupet audito pœnarum fessor & Ultor  
Respicit & Nati pignora cara sui.  
Respicit & multum miserentis verba volutans  
Voces mansuetas promit ab ore suo:  
O mea progenies, ô viva parentis Imago,  
O mens, ô virtus, læticiæq; meæ;  
Largior ex animo, quæ vis, majora petenti  
A me non unquam sunt renuenda tibi.  
Si tibi complacuit lapsis succurrere rebus,  
Si tu vis homini ferre benignus opem:  
Indue, quod dixi, mortalis corporis umbram,  
Illiusq; loco pondus onusque gere.  
Nam peccavit homo, peccati reddere causam,  
Et pœnas ipsum sustinuisse decet,  
Cum petulans voluit fixam præcurrere metam,  
Jure repereussus dura flagella capit.  
Quid? quod me mordet leviter mea jussa reponens,  
Horrendis Satanæ credidit insidijs.  
Credidit & factum contra me fecit iniquum,  
Et me collæsit, justiciamq; meam:  
Ergo impune ferat? justissima non feret ira,  
Annè satisfaciat? Sufficit ille minus:

Infinit

Infinitus enim sum majestate, potestas  
Principium nescit, quin sine fine manet.  
Et nunc ardentem componeret ille miscellus  
Terræ vermiculus, quâ ratione viam?  
Quapropter meritas pœnas, tormenta;q; facto  
Digna volo semper sentiat inde suo.  
Sit deturbatus cœlorum sede beatâ,  
Atq; ipsum Satanæ dira Tyrannis agat.  
Mille modis agitet, vexet, contorqueat. urat  
Inferni flammis; mors sine morte regat:  
Hæc hominis merces, alias hæc præmia portet,  
Peccatum cumulet cuncta fera;q; mala.  
Ast æquæva mihi Soboles, germane Character,  
In te summus Amor, delitiæq; meæ.  
Æternum solum tete complector amore,  
Aspectuq; tuo pectora pascō mea.  
Si tu vis hominem perdura sorte levare,  
Si tu vis hominem sponte juvare Reum:  
Justitiam placare meam, legemq; replere,  
Crudeli morti tollere vimq; suam.  
Demere peccatum, vires & virus Averno  
Exuere & Satanam præcipitare ferum.  
Compromitto tibi, rata sit tua dicta voluntas,  
Instaures justæ rudera lapsa viæ.  
Spondet ut ante Dei Verbum, patris unicus Hæres,  
Voceq; submissâ talia verba refert:  
Alme parens, cœli dominatur, & arbiter orbis,  
Nutu formasti cuncta creata tuo;  
Et sacro sacræ sacraasti laudis honori,  
Omnis quò posset lingua sonare DEUM:  
Atq; homo cum primis formatus imagine nostra est,  
Magnificè ut gereret nomen in ore suo.

An

An patiamur eum miserandâ morte perire,  
Dedecus atq; pati perpetuumq; probrum?  
An fiet adversus patri, qui filius eius?  
Nōne pater curet conciliare sibi?  
Ah juvet, ah hominem miserum properemus adire,  
Atq; ipsi optatas dicere suppetias.  
Filius hæc fatus colloq; annexus inhæret  
Patris, quem redamat plenus amore pater.  
Sic duo sunt unum, sic placat Filius iram,  
Patris; sic homini dicitur alma salus.  
Mox etenim Genitor, cunctis antiquior annis,  
Accedens hominem dulcia verba sonat.  
Heus, inquit, faciemq; leva, viresq; resume,  
Lenijt ira, igitur spemq; fidemq; cape.  
Erigit, auditis, vultum, solatia sperat,  
Et totus placido pendet ab ore Dei:  
(Quippe haud exciderat penitens spe, nulla salutis  
Quod cœlo, aut terris invenienda via.)  
Orditur demum, cœli qui sceptrâ gubernat,  
Imperioq; premit quicquid in orbe viget.  
Ante statuta fuit series atque omne malorum  
Agmen, & hinc tandem mortis acerba dies,  
Sed mediator erit, rebus qui consulat ultrò,  
Proq; gravi culpâ ritè satisfaciet.  
Mitior ergo tibi sit pœna, minusq; gravamen  
In terris, cuius meta doloris erit.  
His vocat & Satanam sceleratâ fraude Colubrum  
Austeris dictis iudiciumq; refert:  
Perfide, terribilis, trux, lubrica, & invidæ serpens,  
Heus quid fecisti? Convitiator eras?  
Cur bona pravasti: quare mea iussa sinistram  
Torsisti in partem virus in omne genus?

B

Cur



Cur decepisti, mendacia pessima promens,  
Terrigenas? Cur mens præcipitare fuit?  
Sint inimicitia, certo quæ fœdere durent,  
Et matris semen conterat inde caput.  
Idcirco noli sævos spirare furores,  
Et multis hominem terrificare minis.  
Noli fraude tuâ niti, quia nemo peribit  
Fraude tuâ, pœnas fraudis at ipse dabis.  
Tempus enim veniet, cum magni nominis Heros  
Corporis humani vilia membra geret.  
Ille dolo liber, noxâq; remotus ab omni,  
Convincet fraudem, ne metuenda viris,  
Is prægrande tuum, quod fraude superbit & irâ,  
Comminuet, trudens Tartara ad ima, caput.  
Mors erit is mortis, certissima pestis averni,  
Ultor peccati, victor ἀλεξίκακος.  
Sic te cumq; tuis, Dæmon, victricibus armis  
Sternet, & inde feret læra trophæa suis.  
Sic hominum tetram noxam mare merget in altum,  
Restituet vitam, quælibet atq; bona.  
Dictis, secessit supremi Reëtor olympi,  
Hinc ingens Satanæ pectora terror habet.  
Flammea semiferi capitis gestamina quassat,  
Majoresq; minas, tendiculasq; parat.  
Arte dolisque hominem qui possit reddere Jovæ  
Invisum, turpis criminis atque reum.  
Vim verò Satanæ contemnit Adamus ab illo  
Tempore læticiæ signa serena videns.  
Certus it in Jovæ promissa, nec anxius hæret  
Nasci, qui reparet cœlica regna, Ducem,  
Et licet insultet Dæmon crudelis in omnes  
Horas, & spargat plurima dicta mala:

Certa

Certa tamen munit pavidam fiducia mentem  
Insultus firmâ speq; fideq; fugat.  
Mors licet atra suas longas in funera falces  
Exacuat, cunctis tela cruenta paret:  
Haud tamen hic metuit, sed sese robore firmat,  
Aufferri tandem spicula dura neci.  
Accusent peccata licet, contagio culpæ  
Et premat, ac urat pectora mille modis:  
Attamen hic credit mundatum sordibus olim  
Æthereâ civem se fore sede Dei.  
Credit, & hæc eadem simili ratione nepotes  
Edocet, ut firmâ stent maneantq; fide.  
In certo certam sibi Salvatore salutem  
Promittant, quamvis sæva procella tonet.  
Hinc omnes sperant humanâ in carne videre  
Mundi Messiam, justiciæq; viam.  
Exoptant patres veræ pietatis amantes  
Ad Jovam, summas ingeminantq; preces,  
Ut cœli rorent, & lux gratissima surgat.  
Obscuris oculis, pectoribusq; vagis.  
Hæc spes, hoc votum viguit per secula multa,  
Et lætus vitæ terminus inde fuit.  
Nam qui venturum Messiam credidit æquè,  
Optatò vitam finiit ille suam.  
Haud aliter quam nos, quod venit, credimus & sic  
Certi post vitam scandimus astra poli.  
Ut verò tempus properavit, & ille Jehova  
Noluit eventu rem caruisse suo.  
Sed pater æthereus promissum pondus habere  
Præparat, & natum viscera inire jubet.  
Nascitur ergò Dei soboles aterna, coæva,  
Et verus vero cum Genitore Deus.

Hebræâ quando sceptrum de gente recessit,  
Atq; peregrino paruit illa duci.  
Nascitur, assumens humani corporis artûs  
Dux magnus rerum regia sceptrâ gerens.  
Verus enim Salvator erat, populiq; redemptor,  
Propterea prodit plebe ferente jugum,  
Et postquam voluit redeuntis conditor ævi,  
Plebem mirandis aservisse modis.  
Rem mirè aggreditur, quæ captum transeat omnem  
Nec lingvis possit dici, atq; capi.  
Mittit enim citius summo de vertice cœli  
Aligerum famulum, cui retulisse jubet.  
Ut solet adventu regis, magniq; monarchæ  
Legari, ut pompam civibus ille ferat:  
Sic rerum Dominus cœli terræq; Monarcha  
Mittit Legatum, ut nuncia læta ferat.  
Rex quoniam mirus, mirus Legatus & ille  
Quippe nec ex hominum semine natus erat.  
Communis fati, Legis noxæque nefandæ  
Nec reus, at justus quâ modò parte velis.  
Ergò qualis erat? cœli vernantis Alumnus,  
Quid psallit laudes nocte dieq; Dei.  
Nuncius ah mirus! quæ portat nuncia mira?  
Verè mira, mihi crede, foveq; fide.  
Hic adit ad Mariam recubantem stramine lecti,  
Nox etenim tenebras vexerat axe poli.  
Blandisonis illam verbis gratisq; salutâ,  
Atq; voluntatem Patris in arce refert.  
Nempè quod uxorum de cœtu lecta sit una,  
Inter fœmineum sic benedicta genus.  
Obstupet audito tali sermone puella,  
Atq; repentinus pectora terror habet.

Ange-

Angelus aſt inſtat caſtiſſima virgo timere,  
Noli, nam Jovæ gratia parta tibi eſt.  
Ent ua concipient cœleſti viſcera juſſu  
Natum, cûi regnum reddet habere Deus.  
Et propriam credi ſobolem dicetq; voletq;  
Nam non communiſ conditionis erit.  
Huic, ubi ſub lucem dederis, ſit nomen Ieſus,  
Quod ſalvet populum, jure regatq; ſuum.  
Hæret adhuc Virgo, nec totum percipit iſtud,  
Infantem poſſet quâ ratione dare?  
Inſcia congreſſûs, tactûs, thalamiq; jugalis,  
Namq; erat & nulli cognita virgo viro.  
Eximit hac dubium cœleſtis nuncius aulae,  
Sumere perfectam ſpemq; fidemq; jubet.  
Namq; ſuperveniet te Sanctus Spiritus, inquit,  
Umbrabit virtus altifoniq; Dei.  
Edes ergò novum completo tempore fœtum,  
Qui ſanctus Domino, qui pius, almus erit,  
Tum credit virgo, devoto pectore rumpit,  
En ancilla DEI, fiat ut ipſe volet.  
Angelus hiſ cedit cum fatuſ mira fuiſſet,  
A Mariâ mirè concipiturq; puer.  
Virgineiq; ſinus, & viſcera caſta tumefcunt,  
Et mox quem cœlum non tenet, alvus habet.  
Fœderis admiranda fides! à Numiniſ aurâ  
Quòd Sobolem talem fœda puella gerat..  
Fœderis admiranda fides! quod lucis origo  
Dignetur tenebras ventris inire nigras.  
O bonitas ingens! ô maxima gratia Jovæ!  
Humanis lingvis non referenda venis.  
Quantuſ amor, quantuſ divini Numini� ardor  
Quo noſtram vitam juſtitiamq; ſitit?

Maximus ille Deus rerum moderator & autor  
Fit minimus, vili forteq; gaudet humi;  
Ille potens Deus est, cœlo sublimior ipso,  
Et massæ humanæ langvida membra capit.  
Majestate cluit, pollet virtute perenni,  
Et fit contemptæ fortis & æger homo.  
Heu quæ tanta Deum movit clementia nostri!  
O nimium nostri, nil memor ipse sui!  
Non genus humanum non mundi machina tanti  
Non tanto merces digna labore fuit.  
Scilicet æterni proles æterna parentis,  
Ut se demittat ventris ad usq; domum.  
Et tamen iste Deus conceptus Virginis alvo  
Carceris immeriti tædia longa subit.  
Tædia longa subit longissima postea profert,  
Cum vitæ aspectus fata maligna vehit.  
En etenim cum tempus adest pia Virgo puellum  
Ut pariat, gremio suscipiatq; suo.  
Bruma diem Natalitium, casa parva ministrat  
Hospitium, ærumnas totaq; vita strepit.  
Nascitur in stabulo Salvator pauper in urbe,  
Quôq; queat nasci vix habet ille locum  
Mollis abest lectus, lectum præsepia dura  
Præbent, infantem stramine virgo tegit.  
Vix est, quo mater stomachum soletur iniquum,  
Vix est, infanti quò paret inde cibum.  
Absunt nutrices, famulæ famuliq; negantur,  
Nemo venit puero ferre paratus opem.  
Quem non flere juvet, lacrymis explere dolorem,  
Quando redemptoris percipit aure statum.  
Rex erat, atq; illi debetur regia cura,  
Ast ubi? pauperie contumulata jacer.

Sum-



Summus erat Dominus, sublimibus alta columnis  
Æreque debetur clara micante domus.  
Sed num respondet? vilis casa denegat illi  
Sedem, suppetias, atque ministerium.  
Dives erat, cunctisque tamen modò rebus egebat,  
Cujus non lacrymæ fluminis instar erant?  
Qui regit imperio terras, cœlumque profundum,  
Non habeat quenquam, qui famuletur ei?  
Ah, pie Christe, pio nostri commotus amore,  
Imponis tergo pondus onusque grave?  
Hæc hominum causâ te cuncta tulisse juvabat,  
Quò nil ad vitæ posset abesse viam.  
Lapsus erat miserè primævæ stirpis Adamus  
Et lapsum miserè tu reparare cupis.  
Incipis idcirco sub primo limine vitæ,  
Cum vivis nostro parvus in orbe puer,  
Continuas, pleno cœlestia munera cornu  
Donec restituas, sineque cœset opus.  
Ut verò credant homines, Dominumque salutis  
Quærant, nec lateat quod sit in orbe satus.  
Aligerum cœtus cœlo descendit ab alto,  
Et nostras terras advolat ille statim:  
Advolat & lætum modulatur in aëre carmen,  
Læticiæ festum nunciat esse novæ.  
Nempe quòd intactæ natus de virginis alvo  
Sit Deus ingenitus, verus ut esset homo.  
Qui Satanæ contritor erit, destructor Averni,  
Mors Mortis, vitæ duxque datorque novæ.  
Qui culpæ tollet maculas, & triste venenum  
Exuet, & referet solus in orbe decus.  
Talia sed memorant pastorum nuncia turbæ,  
Qui curant vigili pascua læta fide.

Hi

Hi Salvatoris primi præsepia visunt,  
Atq; pium cultum supplice corde ferunt;  
Hi primi nati memorant Encomia Christi,  
Et spargunt grato nuncia læta sono.  
Sunt etenim populus vigilans, & turba fidelis.  
Qui tolerant æstus, frigora dura simul.  
Sic Christo vigilare decet vigilantibus ille  
Destructor mortis mitis adesse solet;  
Sic propter Christum tolerare gravamina multa  
Convenit, atq; æstum frigus habere simul.  
At quibus infesto torpet mens ægra veterno  
Nunciaq; ad tanti muneris auris habet.  
Illi abeant vacui, profundant sponte salutem,  
Et pœnas culpæ quas meruere, luant.  
At nos pastorum vestigia fixa petamus  
Visuri puerum mente fideq; datum.  
Salve sancte puer nostros dignate penates  
Visere, tu nobis pandis ad astra viam.  
Salve Nate Dei nostras qui natus in oras,  
Salve pro nostrâ, nate, salute puer;  
Quæ tibi parve puer gratam testantia mentem  
Dona feram? vitæ cum mihi dona feras.  
Tunc Erythræas gemmas, pretiosa nec auri  
Dona petis, sordent divitiæq; tibi.  
Ergò quid apportem? quonam te munere donem?  
Jam scio, verus Amor cum pietate placet.  
Ad tua nunc igitur venio cunabula, gratâ  
Divinum Numen mente videre tuum.  
Immensamq; tuam bonitatem corde fideli  
Noscere, quo sanctum sit mihi nomen, honos,  
Astan non Numen majestas ipsa Jehovahæ est!  
Virtus viva DEI, gloria summa patris!

Est

Est puer hic soboles & vera parentis imago,  
Est infinitus cum Genitore DEUS.  
Æternus pater est, æterni patris & ipse  
Natus, non unquam cujus origo fuit.  
Verus homo simul est sumens de corpore corpus,  
Principioq; caret, principiumq; facit.  
Heu mihi productus vitæ labentis in auras  
Est is, qui natus cum neq; tempus erat?  
An miseris nostris dignatus vivere in oris,  
Aurea cui sedes atq; beata fuit.  
Ecce Deus genitus de mente parentis ab ævo,  
Gignitur ex matris semine verus homo!  
Ergò quæ soboles? forsân mirabilis? Immò  
Qualis ab æterno, talis in orbe manet.  
Naturam duplicem naturæ conditor unit,  
Ut Deus ac homo sit, sed sine labe tamen.  
Cur verò humani moribundos corporis artus  
Uniri voluit cum Deitate suâ?  
Hocce redemptoris munus sublime poposcit,  
Quod mox in terris missus obire fuit.  
Nam quia nos homines inter patremq; supremum  
Debuit & lites bellaq; dirimere.  
Debuit humano Mediator sanguine nasci,  
Atq; os de nostris ossibus induere  
Nam peccârat homo, pœnam dare regula constans  
Justitiæ voluit, supplicioq; premi.  
Verùm purus homo non perfoluisse valebat  
Pœnam, commissum nec tolerâsse scelus.  
Ergò redemptor adest nostrâ de stirpe creatus,  
Ut crimen, quod nos fecimus, ipse luat.  
Vendicat ipse sibi culpam pro fratribus ultrò,  
Eripiat fratres frater ut ipse neci.

C

Huma-

Humanæ labi quia non obnoxius ille,  
Solut at est omni crimine purus homo.  
Tum valet alterius tergis imponere pondus,  
Atq; fatigatos spontè levare suos.  
Quod si communi maculatus crimine, & esset  
A parili culpæ conditione reus;  
Non posset nobis dulcem reparare salutem,  
Et nos sublimes sistere in arce Patris.  
Nam qui multiplici damnatam crimine gentem  
Debuit è multis eripuisse malis :  
Debuit ille malis nullis obnoxius esse,  
Et mala pro proprio crimine nulla pati;  
Sed pro labe sui populi, pro crimine gentis  
Ipsi cognatæ pœna luenda fuit.  
Hinc igitur natus mirâ ratione puellus  
Est talis, labe non tenet ulla reum.  
Concipitur purus, vitales purus in auras  
Editur, & vitam vivit in orbe piam.  
Namq; sacer Flatus carnalem Virginis, alvum  
Cunctis purgavit sordibus atq; lue.  
Edere quo posset mater sine labe puellum,  
Et tactûs insons, concubitûsq; viri.  
Scilicet hæc causa est, quòd blandulus ore puellus  
Sit natus summi Filius ipse Dei.  
Venerit & similis nobis, sed criminis expers,  
Offenso ut fieret victima grata Deo.  
Sed Deus est idem, quia restaurare salutem  
Non hominis fuerat solius iste labor,  
Non etenim poterat divini Numinis iram  
Placare, & mortem vincere solus homo :  
Non hostem poterat Satanam compescere dirum,  
Et rigidam legem tollere solus homo :

Non

Non poterat sufferre lues, & crimina mundi  
Totius, justos & dare, solus homo:  
Non poterat gemitus audire, nec ima piorum  
Vota nec ante Deum ferre, referre preces.  
Non poterat servare suos ubicunq; locorum,  
Hæredes demum constituisse poli.  
Hoc opus humanæ non sustinuisse valebant  
Vires, Virtutes Angelicæq; minus.  
Fit Deus ergò potens noster mediator, ut illa  
Pro nobis forti præstet agatq; manû.  
Corporea patitur mundum vestire figurâ,  
Numine contecto nascitur æger homo.  
Sic septus duplicis bellator robore stirpis  
Hostes aggrediens læta trophæa refert.  
Ardens ira Dei contrà stetit ordine primum,  
Acer & hic nobis hostibus hostis erat.  
Qui mox bella suos horrenda parabat in hostes,  
Ut caderet meritis gens inimica malis.  
Hanc infans flectit, litem componit acerbam,  
Nos hostes summo conciliatq; patri.  
Ille minas multas, & nocte dieq; paratus  
Spirabat Satanas, tartareusq; leo.  
Illius infandum caput hic contundit JESUS,  
Frangit & infernæ vincula dura domus.  
Cui non læticiæ manent de pectore toto?  
Quis jam non lætus jubila læta canat?  
Hic anceps animæ cum primis subdolus unum  
Nobis securum non finit ire diem.  
Nos hic adoratur, nos investigat, & astu  
Quovis degustat, qualibet arte premit.  
Quid jam? quis curat? vis ipsi demta nocendi,  
Sævitiæ istius pro fore finis adest:

Quæ

Quæ bonus ergò puer, quæ nobis munera donat?  
Qualia nonnunquam sunt memoranda satis.  
Lex nos terreat, Legis chirographon aufert,  
Acusare reum ne malefacta queant.  
Incussit magnum mortis mors atra timorem,  
Atq; animis nostris terror acerbus erat.  
Terror hic est error, perijt vis improba mortis,  
Liberam nunc Ditis carcere turba sumus.  
Nunc rigor est risus, nunc irrita mortis & ira  
Terruit antè metu, nunc pavet ipsa metu.  
Atria perfringit puer hic ad amantina averni,  
Eripit horrifonæ robur & omne neci.  
Mordebat graviter nos mens sibi conscia pravi,  
Redditur à puero pacis amica quies:  
Nos peccatorum moles prægrandis habebat,  
Atq; infinitum nos onerabat onus.  
Suscipit à nobis peccata, suisque reponit  
Hæc humeris, ne quis sentiat inde malum.  
O nobis optate Puer, dulcissime JESU,  
O animæ requies delitiæq; piæ meæ  
Non ego si centum lingvas totidemq; sonare  
Ora satis dignè non tua facta canam.  
Non oculi capiunt, non lingvæ prodere possunt,  
E partu quæ sunt gaudia nata reis.  
Quod favet omnipotens nobis, quòd fœdere jungit  
Nos sibi quod noster gaudet & esse pater.  
Acceptum ferimus tibi soli Christe benigne,  
Pax redit hæc nobis munere parta tuo.  
Munere parta tuo nobis cœlestia regna,  
Janua cœlorum, te mediante, patet.  
Lucis ut æternæ susceptis sede beatâ,  
Cœlesti liceat prosperitate frui.

Blan-


Blande puer salve, JESU Rex optime salve,  
Quâ te tollemus laude quibusve modis?  
Quæ mortalis homo tibi præmia digna rependet?  
Quid tibi retribuet pro pietate tuâ?  
Rebus in humanis nihil est æquale saluti  
Ex infinitâ quæ bonitate venit:  
Si Gazas Arabum donarem & munera cuncta,  
Lydus quæ tenuit sub locuplete manû:  
Munus vel largum, & congesti ponderis aurum,  
Quod vehit auriflui Lympha superba Tagi.  
Munera quæ rutilo jam cuncta sub axe videntur;  
Sunt tamen haud meritis æquiparanda tuis.  
Ergò quid demus? cupidissima corda dicamus,  
Hæc fore sola tibi, munera grata scio.  
Hæc habeas, hæc donamus, cum cætera desint;  
Serves in cœlis, hoc & in orbe diu.  
Optime SALVATOR, Flatu nos contege Sancto,  
Fac, quò possimus vivere ritè, precor.  
Ptotege nè Getici nostrum ædes frangere salvas  
Hostes, nè muris agglomerare, queant.  
Mortem Christisequæ plebi si fortè minantur,  
Sperne, restringe minas, sterne refringe dolos.  
Enfigerum Heroum nostrum, Deus alme, tuere,  
Germine cum toto Saxoniamq; domum.  
Da, domitare nequit ceu rana rubeta veneno  
Rutam sic possit vis quoq; nulla Ducem.  
Sed, quò florescat ceu Palladas arbor in Æmo,  
Quò seræ vitæ tempora multa terat.  
Contege Musarum palmis etiam hanccè Palæstram,  
Illarum pilas, atq; tuere Forum.  
Magnifico mittunt Rectori scrinia Cordis  
Grates permagnas innumerasq; mei;

C 3

Vobis



Vobis ô celebres animi magnique Patroni,  
Grates ingentes pectore & ore fero;  
Nec non, ô Juvenum generosa & magna Caterva,  
Consimiles grates nunc ego reddo tibi.  
Has quòd dignata es tenues audire Camænas,  
Terminus hic hæret, Consule dicta boni.



RECTOR  
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,  
**WILHELMUS LYSERUS,**  
S. S. Theologiæ Doctor, Professor Publicus  
& Electoralium Alumnorum Inspector.

*Civibus Academicis S. D.*

**A**D horam secundam postea, finitis pomeridianis sacris REICHARDUS ROTELIUS Torgaviensis Misnicus, Ornatissimus ac honestissimus Juvenis, quem non ita pridem de Musicâ, satis, ut sic loquamur, musicè, hoc est concinnè ac eleganter perorasse meminimus, Carmen Elegiacum de nativitate dulcissimi Servatoris cujus memoriam hoc tempore solenniter celebramus, recitaturus est. Non ostentandi ingenii causâ, aut eruditionis cujusdam in hac suavissimâ ac divinissimâ parte literarum; sed ut testatam faceret pietatem suam, & quàm pro suâ virili daret operam aliquid ad sacratissimi diei honorem conferre. Habent & aliæ festæ luces, quo suam tueantur dignitatem; sed velut Oceano, quem patrem rerum non tantum Poetæ, sed & Philosophi nonnulli crediderunt, fluvii omnes debent originem; sic reliquorum festorum causæ, ab eo dependent die, quo natus, qui primum diem fecit, & ante omnem diem fuit. Equidem antequam in crucem ascenderet Servator hominum, in terras de  
cælo





cælo descendere oportuit; & cunis imponi prius, quàm in sepulchro componi posset. Neque enim aperuisset viam nobis ad vitam moriendo; nisi prius ad mortem sibi viam reclusisset nascendo. Non factus repente de cælo sonitus, tanquam ad venientis spiritus vehementis, totam replevisset domum ubi erant sedentes Apostoli; nisi à quo procedit spiritus metatus hospitium in virgine, novo & admirabili fœtus castissimi pectoris domicilium impleisset. O magnum & venerabilem diem; quo Deus natus, & puer in terris apparuit, qui Dominus regnat in cælis! O delectabilem ac latum diem, quo Deus ex homine natus est! quo factus Creator quod fecerat; ut illud, quod fecerat, ne periret! Fecerat quidem initio hominem ad suam imaginem sed callidissimi serpentis fraude, & inconsulta mulieris mollitie illo honore longè excidit. Nunc cum imaginem hominem assumit Deus homo imaginem Dei recipit; & plus, quam amiserat, acquirit. Antea Dei reatura fuerat; nunc & filius est; ex quo filius Dei, filius hominis esse cepit. Sed & plus est calcare ac vincere mortem, quàm mori nescire; & qui perpetuò victurus in terris, jam coheredem cæli factum esse. Ad alterum conditus erat homo in alterum adoptatus est: adoptat ut filius, conditus ut servus. Nam posteaquam cætera omnia condidisset Deus, ut servirent homini; postremò condidit hominem, ut sibi serviret. Sed meritò venerandum carmine existimavit Noster hunc diem cuius festam solennitatem canendo & angeli dedicarunt; quum multitudo cælestis militiæ divinæ gloriæ & novæ pacis præconia modularetur. Nos quoque, quæ nostræ partes sint, meminimus probè: atque faventes pietate Juvenis, promptè veniamus ad officium, ut dum dici hujus mysteria versu & voce celebrat, nos interim corde ac spiritu accinnamus. Neque enim voce tantum laudatur Deus; sed animo quoque concinitur: nec tam modulato carmine, quàm benè compositâ mente delectatur. Interim tamen & voce laudandus, qui dedit vocem: & audiendi libenter sunt, qui verbis benedicere Deum instituerunt. Potest torpere aliquando animus ad laudes divinas & illa spiritualia cantica, quæ Apostolis celebravit: sed revocatur ad partes cum vox externa aures circumsonat, & raptus emulatione incinit, qui sui securus tacerat ante. Ut itaque promptius laudemus Dominum fideli spiritu, agite, benignè omnes verbis audiamus laudantem. P. P.

Dominica post Circumcisionem anno recuperatæ  
gratiæ ∞ MD CXXXI,




✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



62

ELEGIACUM

de

# Consolationis &

## Salvatoris & Immanue-

CHRISTI ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ, qui  
Virgine Maria in temporis plenitudine  
nitate, ejusdem fructu dulcissimo, con-  
scriptum ac pictum, verum tamen ex  
tractere factum, & in almâ Leuco-  
θεαυθεγαθήσεως 1631. d. 1. Januarij  
; In lucem verò prolatum  
1633. d. 1. Januarij.

â  
Rötzel Torgensi SS. Theol.  
Studiofo.



TEBERGÆ,  
nicâ JOHANNIS RÖHNERI,  
M DC XXXII.